



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

18. Augusti. Parùm interest, si mundo negligenter servias; hoc verò intolerabile est, Deo cum negligentia servire. S. Ignat. ap. Maff.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Cum duro adeo capite durissimum est agere, apud quem nec ratio ulla pondus, nec consilium, quod domi suæ natum non sit, locum invenit? Quò sapientior quisque est, tantò est rationi obsequentior,

18. Augusti.

*Parùm interest, si mundo negligenter servias; hoc verò intolerabile est, Deo cum negligentia servire. S. Ignat. ap. Maff.*

**N**Eglectim servire Principi contemptus est, non obsequium, pœnam relaturum pro mercede, non præmium: quantum enim operi debito accedit negligentia, tantum æstimationis erga dominum defecisse ostenditur.

Deo servire posse, gratia censeri debet non obvia, iis hæc datur, quos beata destitavit, æternitati Deus, cui sitam frigidè respondeas, periculum tibi facis, ne amittas; gratiam meretur perdere, qui non æstimat.

Suos mundus servos fumo, cælo Deus remuneratur; quàm dispar præmium, tantum inter hujus, illiúsque obsequii executionem debet esse intervallum. Pudens

dum est, magis nos pro momentaneis sollicitos esse, quàm æternis!

Cui magis debita est sollicitudo, quàm virtuti? cui magis cura obnoxia, quam omnia curanti? neglexisse omnia, adeò vitium non est, ut laudabile esse possit; in virtutis verò studio negligentem extitisse, inexcusabile manet.

19. Augusti.

*Rarus foret, qui defectus suos undequaque agnosceret, nisi Deus ei specialiter revelaret. S. Ignat. ap. Martin.*

**P**essima infirmi constitutio est, dum ægritudinem, quâ maximè laborat, minimè sentit. Ut gratulandum illi est, qui se ægrum sentit; ità vitia sua videre felicitatis est. Uterque curam anhelat, & spem habet emendationis.

Agnata nobis cæcitas est. Ut vultus ipse suos nemo videt, ita nec nævos; adeò subtilia nempe nunc vitia sunt, ut etiam melior oculus ea ægrè discernat à virtute.

Parum habet ingenii, qui errata sua excusare non sciat; artem hanc sinè magistro parvuli nôrunt; si excusari facile non possint, possunt colorari; pulchra illis nomi-

na,